Quaestio Cardinalitia agit. In Scholis medic. die mart. 5a april.

Hugone Preuosteau Moderatore.

Confertne Apoplexiae Phlebotomia?

Cerebrum mentis quae domicilium nullo sensu praeditum, sensus tamen, et motus fons, ut omnium corporis partium est humidissimum, et frigidissimum, ita frigidis, et humidis affectibus maxime est obnoxium. Inter quos apoplexia repente sensum et motum toti corpori adimens, et functiones actiones offendens affectus ipsius etiam citra febrem, vehementia periculi magnitudine, et curandi difficultate facile excellit. quae quidem si respiratio prohibeatur acutissima, funestissimaque existit: si insigni violentia cum stertore, et oris spuma prodeat, aut inaequalis inordinataque sit, et intermittens acuta, et fortis est pro eorundem symptomatum syndrome, si vero citra hanc sola levior dyspnoea, inter leves debilesque est annumeranda. atque haec una maxime a caeteris frigidis cerebri affectibus distinguitur.

Omnis generis habet suas generationis causas procatarcticas, antecedentes, et coniunctas. Coniuncta quippe ventriculorum cerebri aut χοροειδῶν obstructio astrictioque, sive ut ob vehementis ambientis frigus (unde hyemi peculiaris) ita et ob casum ictus capitis et contusiones: vel a crebro cibi frigidioris usu, ita et ob immodica calidioris ingurgitatio, crapulaque, assiduis ut ab humore plerumque pituitoso, ita nonnunquam a melancholico, atque ipso sanguine generatur. Unde senibus et pituitosis familiarissimus quidem est morbus, assiduoque imbribus consequitur: contingit tamen et a 4o anno, usque ad 60um quin et cuiuslibet aetatis, et temperamenti hominibus, et plethoricis, qui potissimum brevi angustaque sunt cervice.

Praecurrunt hoc malum repentinum capitis et acutus dolor, dentium inter dormiendum stridor, incubus frequens, aurium tinnitus, sensuum hebetudo, σφαγιτίδων venarum elatio, vertigo, extremarum partium perfrigeratio sine causa, totius corporis gravitas, difficilisque motus, urina quoque pauca est, nigra cum sedimento farinaceo. Comitantur quidem sigillatim omnia cum epilepsia quidem καταπτώσεις cum clamore, spuma in ore plurima, cum soporosis vero affectibus stertor somnusque profundus: tum illi propria abolitio omnis sensus, ac motus, dyspnoea, qua sola a mortuo aeger differt, aegrotantibus tunc ob imbecillitatem omnes thoracis musculis. Quin et ipse sensum aliquando effugit respiratio, ut et pulsus.

Porro affectionis magnitudo ex noxa, quam spirationi infert, vehementia dignoscitur. Unde apoplexiam fortem solvere impossibile, debilem vero non facile, atque hanc etiam intra septimum ad summum diem iugulat, nisi vel febris superveniens (quam idcirco utiliter a medico potest excitari) vel opportune interim adhibita fuerint remedia, saepeque accidit ut qui cum periculum effugerint, mente capti postmodum, aut obliviosi in reliquam vitam reddantur. Ac in ἡμιπληξίαν decumbentes in alteram spinae partem humore incidente, aut vero in alterutrum brachium translato in παραπληγίαν.

Cardo curationis in hoc totus vertitur ut causa antecedens tollatur, coniuncta dissipetur, praecaveaturque: hinc ut extremarum partium vinculis, frictionibus doloriferis, enematis acribus, cucurbitulis cum scarificatione, venas iugulares sectione revellenda, sternutatoriis medicamentis, diaphoretico capitis fotu, lituque, apophlegmatismis, gargarismatibus, denique pessariis, et cantharidibus vacuanda est. Ita et ante ipsam antecedens plethora inprimis tenuissima victus ratione minuenda est, necnon phlebotomia missio ex utraque brachii cephalicis sanguinis per ἐπίκρασιν. et quamquam ad antecedentem alteram cacochymiam videlicet expugnandam catharticum sit praemittendum, phlebotomia tamen omnino ante ipsum est administranda. Quippe nihil aeque cito provocant dyspnoeas occurrit, ἐμφράξεις cerebri ventriculorum expedit, liberum spirituum ultro citroque commeatum reddit, sensum denique et motum, atque adeo mentem ipsam restituit.

Confert Igitur Apoplexiae Phlebotomia.

Scribebat Joannes Gallant Atrebas 1594.

B.I.U. BIBLIOTHÈQUE